

Positiones medicae, de colica / [Friedrich Möller].

Contributors

Möller, Friedrich, active 1607-1652.
Sennert, Daniel, 1572-1637
Universität Wittenberg

Publication/Creation

Wittebergae : E typographia Christiani Tham, 1625.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/u75yu9r3>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

POSITIONES MEDICÆ.

De
COLICA,

Quas

IN CELEBERRIMA SEPTEMVIRALI AD
ALBIM ACADEMIA.

Sub Præsidio

Viri Clarissimi, Excellentissimi & Celeberrimi

DN. DANIELIS SENNERTI,

Philosoph. & Medic. Doct. experientissimi Profess. Publ.

Facultatisq; Medicæ Senioris meritissimi, Fautoris,

Præceptoris, Promotoris & Hospitis sui

æternum venerandi,

Publicè

AMICÆ VENTILATIONI

submittit

FRIDERICUS MOLLERUS

COLONIA-MARCH.

In Auditorio Medico horis matutinis

Prid. Calend. Octobr. Anno 1625.



WITTEBERGÆ,

E Typographia CHRISTIANI THAM.

Acad. Typogr.

MAGNIFICO, NOBILI, AMPLISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
VIRO
DN. FRIDERICO PRVCKMANNO
J.C. CELEBERRIMO,
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
ELECTORI BRANDE-
BURGICO
A
CONSILIIS SECRETIORIBUS
ET
TOTIUS MARCHIÆ CANCELLARIO
EMINENTISSIMO,
DOMINO, PROMOTORI ET PATRONO
SUO MAGNO.

UT ET
CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DN. JOHANNI MOLLERO
MEDIC. DOCT.
SERENISSIMI ELECTORIS BRANDEBURGICI
ARCHIATRO,
PARENTI SUO ÆTERNUM VENERANDO.
HOCCE GRATÆ MENTIS ET OB-
SERVANTIÆ MONUMENTUM
PONIT

FRIDERICVS MOLLERVS
COLONIA-MARCH.
AUTOR ET RE-
SPONDENS.



DE COLICA.

POSITIO I.



Afectuum sævissimarum, quæ intestina, corporis humani sentinam, in quam varii generis excrementa confluunt, infestare assolent, *Passio Colica, Iliaca, & Dolores*, qui ex vermium morfu oboriuntur, principales existunt species.

II.

Inter has enumeratas, ultimam cum non sedem obtineat Colica, nec non frequens ac gravissimus sit adfectus, adeo ut plurimi, quos affligit, manus violentas sibi inferre malint, quam tantos dolores sustinere: Laterem me loturum haud spero, si in tam sævientis hostis naturam inquirere, & quomodo ab ejus vi & truculentiâ vindicari possimus, operam navavero.

III.

Denominationem assumit à Symptomate dolore & eâ, quæ afficitur parte, Intestino scilicet Colo. Græcis enim dicitur κωλική ὀδύνη seu κωλικὸν ἄλγος. *Celsus morbum plenioris intestini appellat. Ab aliis Dolor intestinorum, dolor Colicus, communiter Colica nuncupatur.*

IV.

Est autem Colica dolor crassioris intestini, à solutione unitatis dependens.

V.

Ut autem natura & generatio Colicæ passionis magis sit conspicua, causæ ejus, utpote sine quarum notitia in ullius rei exactam cognitionem conscendere non valemus, erunt inquirendæ.

VI.

Quæ pro diversa ratione causandi triplices sunt: I. *συνεκτική* seu Conjunctæ. II. *προγενέσθαι* seu Antecedentes. III. *προκαταρκτική* sive primitivæ.

VII.

Causa *συνεκτική* seu Proxima, est Solutio continui: Ubi enim dolor, ibi Solutio Continui: ubi Solutio Continui ibi dolor.

VIII.

Quæ quidem causæ, continuum dum solvunt, non uno, sed duplici modo id præstant, vel vellicando vel distendendo.

IX.

Nec materia est una atque eadem. Sæpè etenim hujus doloris causa existit flatus in intestino copiosior congestus, si propter obstructionem à facibus induratis exsiccatisque, aut aliis de causis liber exitus ipsi non pateat. Tunc enim intestinum distendit ac divellit immenso & immani cruciatu, magnoque doloris sensu.

X.

Hîc quoque locum sibi vendicat bilis retenta, quæ in Intestinorum tunicis ac vasis hæret. Hæc etiam
in

in causa est, ut sæpe numero Colica in Paralyfin aut Epilepsiam degeneret.

XI.

Interdum in Coli intestini cellulis ad ipsius latera positis excrementa retinentur, siccantur & cumulantur: quæ non solum gravando & distendendo, sed & liberum excrementorum transitum impediendo colicos dolores inferunt: Præbent nonnunquam occasionem hisce doloribus corpora dura, in hisce sedibus retenta: vel duri fructus, (ut Castaneæ,) è quorum largiore usu Colicos dolores aliquoties natos scribit Plater. de ventr. dolor. cap. 13. Idem meminit officulorum è pedibus gallinarum coctis, à muliere quadam devoratorum; quæ cum in Intestinis per multos annos hæssissent, & hanc passionem excitassent, tandem Clystere infuso magna copia rejecta fuere. Et à pituita concreta Colon adeò infarctum, ut pene unitum videretur, easdem obstructions colicosq; inde dolores natos procreasse, sectione se invenisse fatetur Fernel. de part. morb. & sympt. l. 6. c. 10.

XII.

Apta est ad gignendos hosce dolores Inflammatio à sanguine venarum mesaraicarum eò loci, seu ob copiam, seu ob tenuitatem effuso, orta.

XIII.

Vermes Colicam generare posse probat Forest. l. 21. obs. 4. ubi facit mentionem rustici cujusdam, qui in passione Colica ultra 30. vermes ejecit, quem paulò post pristinae sanitati restituit.

XIV.

Ex his facile, quæ causæ *αετιολογία* seu Antecedentes sint, patebit.

XV.

μεγαταρκτηα, Inconveniens sex rerum non naturalium usus: Ut sunt Aer frigidior, usus ciborum crassorum ac qui difficilis sunt digestionis & ad cindos flatus apti; ut pisces visceri, Anguilla, fungi, faba, rapa. Item caro bovina & fumo indurata; Potus aqua frigidior, mustum, exercitium, quies, somnus & vigilia modum excedentia, retentio excrementorum alvi.

XVI.

Causis investigatis, recto tramite ad huius morbi differentias gradum facimus. Desumuntur autem haec à Subiecto, Causa Efficiente, atq; Adjunctis.

XVII.

A Subiecto, ut dolor sentitur vel in reliquis Intestinis simul, vel in Colo tantum. Si dolor in tenuibus fuerit, proprie *Iliacus*: si in Colo *Colicus* appellatur. Praeter ceteris vero omnibus afficitur Colon.

XVIII.

Ratione Cause producentis hunc adfectum, peti possunt vel ab humore pituitoso, bilioso, flatibus, Inflammatione, Grumo Sanguinis & Calculo, nonnunquam à vermibus.

XIX.

Hinc duae praecipue constituuntur Passionis Colicae species, *Humoralis* & *Flatulenta*.

XX.

Humoralis, quae ab humore in Intestinis coercito provenit. Isque Humor est Crassus, viscidus & frigidus, interdum acris, falsus & mordax.

XXI.

XXI.

Flatulenta verò *Causam* sibi quærit *Flatus* frigidos & crassos, in *Intestinis* detentos, & violento motu exitum quærentes. Hæc species ut gravissima ita non rarissima existit.

XXII.

Quandoque etiam *Colica* epidemia esse solet, ut *Ægineta* lib. 2. cap. 18. & 43. & *Avicen.* l. 3. *Fen.* 16. c. 6. & *Clariss. Dn. Præses* in sua praxi facit mentionem hujus mali, quod anno Sexcentesimo vigesimo primo in *Silesia* in *Ducatu Teschinensi* fuit grassatum, ortum habens ab acribus malignis & contagiosis humoribus. Cujus historiæ uberior explicatio ibidem habetur.

XXIII.

Fit quoq; *Colica* vel per *ἰδιοπάθειαν* seu *Essentiam*, vel per *συμπάθειαν* seu *consensum*.

XXIV.

Per *ἰδιοπάθειαν* cum in ipso intestino materia generatur, quando scilicet ipsum *Intestinum* laborat intemperie, sive frigida, sive calida, sive sicca, humida verò nunquam.

XXV.

Per *συμπάθειαν*, si nimirum *ventriculus* humores & flatus generet: aut *epar* & *lien* materiam ad *intestina* propellant: aut ab *utero*: vel à toto corpore. Ex. g. in febribus, ubi humores ex *venis* ad *Intestina* trunduntur.

XXVI.

Respectu vero Adjunctorum differt: quod dolor sit alius *Intensior*: alius *remissior*, pro diversa causarum ratione.

XXVII.

XXVII.

Deinde dolor alius est Continuus; alius intermittens: interdum mobilis, interdum fixus, ac si palus in parte esset infixus, habetq; nonnunquam febrilia Symptomata, ipsamq; febrem comitem.

XXVIII.

Absolutis Differentiis, signa consideranda nobis veniunt. Sunt autem illa vel **DIAGNOSTICA** vel **PROGNOSTICA**.

XXIX.

Diagnostica nobis vel affectum ipsum, vel partem affectam monstrant apertè; & eundem à vicinarum partium doloribus discernunt: vel nos in causarum cognitionem deducunt.

XXX.

Colicæ igitur Passionis signa Patbognemonica sunt: Sensus doloris vehementissimi; nunc sentitur fixus, nunc vagus & tensivus, inprimis in parte sinistra in inguine sinistro, ubi Colon angustius redditur; Continua adest nausea, ructus, vomitus pituitæ & biliosorum humorum frequens, flatuum suppressio.

XXXI.

Sunt & alii insuper cruciatus, qui similitudine & vehementia Colicam æmulentur, sedem verò suam non fixerunt in Colo, sed in Peritonæo vel in membranis, quæ abdominis ventrisq; partibus obtenduntur. Hi sanè sunt gravissimi ac diuturni, & cum neque medicamentis neque aliis præfidiis, quibus veri dolores Colici, leniri queant, in siccum hydropa non rarò firmantur Hipp. II. Aphor. Sect. IV.

XXXII.

XXXII.

Succedunt febribus diuturnis & morbis biliosis, solentq; continuæ & tertianæ febres, frequentissimè verò quartanæ hisce doloribus finiri. Fernel. lib. 6. de part. Sympt. & morb. cap. 10.

XXXIII.

Reliquæ consimiles species sunt, *dolor Uterinus, Iliacus, Nephriticus*, qui accuratissimè discernendi sunt.

XXXIV.

Ab Uterino dolore Colicum situs facilè distinguit; Ille etenim Inguinibus & Coxis communicatur, nec supra Ilia descendit; præcessit etiam partus; vel instant menses. Accedit quoque interdum suffocatio uteri; quæ Symptomata in Colica non apparent.

XXXV.

Ab Iliaca passione differt *ratione doloris*, quod dolor colicus sit magis extensivus & gravativus, nec non speciem rei perforantis præ se ferat: *Deinde ratione loci*, dolor Colicus magis affligit infra umbilicum: Ille verò dolor in mediâ ventris regione, umbilico proxima percipitur: Est magis pungitivus, & trahit superiora membra in consensum. *Deniq; ratione Symptomatum*: Ilia cum sequuntur vomitus, palpitatio cordis, Syncope, fæda excrementorum ejection.

XXXVI.

A Nephritico dolore, Colicum discernere non ita facilè est: & ipse Princeps Medicorum Galenus in distinguendo uno ab altero se deceptum fuisse scribit 2. de loc. aff. cap. 5. & 6. de loc. aff. cap. 2. Arbitrabatur Calculum in alterutro ureterum impactum, tantus

erat dolor perforanti rei haud absimilis: Cum vero per Clysterem excreto humore vitreo dolor statim cessaret, neque calculum doloris causam neque renes neque ureteres affectos cognovit, sed intestina, inprimis crassiora.

XXXVII.

Est autem hoc discrimen. *Dolor Colicus est pun-
gitivus & remissior*, occupat amplum locum, sequitur ductum intestini Coli, & à dextra parte incipiens sursum ad umbilici regionem ascendit. Impossibile verò non est, dolorem à sinistra parte incipere posse. Est vagus, non fixus, à cibo maximè molestat. *Contra Nephriticus dolor est gravativus, & intensior*, locum angustum excrucians, semper est stabilis, ductum sequens ureterum, à superioribus ad Inferiores descendit partes, versus pubem, magisq; in posteriore parte continetur, adestq; flectendi & erigendi corpus impotentia. Initio urinæ tenues apparent, hinc crassescunt, ac arenulæ in conspectum progrediuntur.

XXXVIII.

Si à pituita crassa, frigida, Colicus dolor originem trahat, dolor gravissimus & pali infixi, terebræq; perforantis instar prodit, adest nausea, sitis nulla, movet pituitosos vomitus, neque ructibus, neque flatibus dolor mitigatur.

XXXIX.

Si ab humoribus biliosis & calidis proveniat: præcesserunt dispositiones biliosæ: dejicitur appetitus, sitis augetur, adest vomitus biliosus: totum corpus percipit dolorem vagum; febris quoque comitem se præbet, urinæ provenit ardor & rubor.

XL.

XL.

Flatus hunc dolorem concitasse deprehenditur ex sæcum duritie, ventris tensione, & cumprimis, si causæ flatus generantes præcesserint. Sæpius hi flatus veluti rugitu murmurant, arcteque conclusi, neque ore, neque alvo erumpunt.

XLI.

Si inflammatio fuerit in Causa, indicium facit fervor, quem sentiunt ægri; aderit febris, urinæ retentio & alvi, concurrunt inane dejiciendi desiderium, sitis, vigiliæ, ciborum fastidium.

XLII.

Si à facibus progrediatur, ostendet hoc gravitas magna, distensio tanta ut disrumpi videantur Intestina. Antecessit usus adstringentium, vehemens exercitatio, aderit Epatis caliditas.

XLIII.

Si à vermibus: cognoscitur id ex ægro, si ad generandos istos fuerit pronus: maximè si ipsi vermes cum excrementorum exitu in conspectum proveniant, adsintq; alia signa.

XLIV.

Consideratis *Diagnosticis* merito subjungimus *Prognostica*; cum maximè intersit scire, Affectus hic curabilis an sit nec ne?

XLV.

Periculosum est, si totum Colon afficiatur dolore quam pars saltem: *Periculosius vero*, si in principio Coli & in Ileo dextro consistat.

XLVI.

Colica perseverans cum vomitu, sudore frigido, singultu frequente, remediis minimè cedens, letalis est.

XLVII.

Colica à pituita & flatibus proveniens, curabilis est.

XLVIII.

Colica contagiosa ferè semper existit letalis.

XLIX.

Dolor à causa biliosa pronatus, pessimus.

L.

Quo ad curationem, hæc pro diversitate causarum, diversis ac variis modis peragenda est.

LI.

Commodissimum equidem esset, ut primò causa tolleretur: Cum verò dolor interdum ita sit vehemens, ut moram non patiatur, sæpè antequam curatio, quæ causæ debetur, absolvi possit ad dolorem curatio dirigenda.

LII.

Ad dolorem autem mitigandum requiruntur *Anodyna*, quæ adhibentur, vel *Intrinsècus*, vel *Extrinsècus*.

LIII.

Intus sumitur oleum amygdal. dulc. decoctum chamæmeli, anethi. Clysteres parantur ex malva, parietaria, chamæmelo, anetho, althæa, branca ursina, sem. lini, adipe vitulino, gallinaceo, ol. anethin. Juniperi, lumbric. communi dulci, & similibus.

LIV.

Extra conveniunt fomenta ex iisdem ferè parata. Nec balnei usus hîc rejiciendus; quod & ipsum dolores lenit, & ut sit efficacius herbæ prælibatæ prius in aqua coqui possunt.

LV.

LV.

Si verò *Anodyna* nihil proficiant, ad *narcotica* accedendum, præsertim cum dolor ita sit vehemens, ut Syncope vel vitæ periculum immincat.

LVI.

Si flatus hujus doloris causa existunt: fæces emolliendæ, alvus laxanda, humores educendi flatus discutiendi sunt.

LVII.

In *Colica à pituita crassa & lenta*, conveniunt aperta prius alvo, pituitam attenuantia, fundentia, discutientia, evacuantia.

LVIII.

Si ab humoribus acerbis & calidis malum originem trahat, utendum est refrigerantibus & humectantibus; alvus si subsistat, aperienda, quod humectantibus & laxantibus rectissime perficitur.

LIX.

Si ab inflammatione, sanguis affluens à parte affecta avertendus, ejusdem fervor temperandus, & id quod affluxit, discutiendum.

LX.

Possent equidem adduci nonnulla medicamenta, quæ occulta & peculiari qualitate Colicam sanare dicuntur: sed tamen cum adhuc sub judice lis sit, an dentur ejusmodi medicamenta, hac vice silentio ea prætereunda censui.

Hæc dicta sunt de Affectu Colico in genere, specificorum remediorum sylvam Practici abunde supeditant.

Corollaria.

An Paralysis ex Colica eadem sit cum Paralyfi ab Antiquis descripta. N.

An aëre, Quasi fiat ex sanguinis ex arteria effusione an solummodo ex arteria dilatatione. Probatur posterius.

An Chymica remedia sint tuta. D.

An in feбри pestilenti Sp. ☉ usus sit noxius. N.

F I N I S.



Præstantiss. Domino Friderico Mollero Serenissimi, Elect. Brand. Archiatri filio patristanti.

Mollerus Clari soboles laudat a Parentis
Ad Patrios properat, ductu virtutis, honores,
Nec cupit, ut multi, vitiorum labe Parentis
Obscurare decus, Patriasq; extinguere laudes:
Sed Patrium satagit decus ut florescat in ævum.
Exemplo hocce suo testatum reddit honoro.
Macte animo Patriæ Mollere, decusq; Parentis
Evades: Friderice, honor inde sequetur, & aurum.
Dat Galenus opes.

Convictori & Amico

f.

MATTHIAS WINDECK

Freistad. Sil.


Amicissime Mollere.

U No habeas verbo: fructus fert nobile semen ;
Tu modo fas vertas non requietus agrum,
Sedulus aſt vertis, ſparſiſti & nobile ſemen,
Ergo tibi fructus poſt breve tempus erunt.
quodl. animo

precatur T.

JOH. SEVELENBERG

Lign. Sileſ.



——— Trahit ſua quemq; voluptas.

E St, quem delectat Sacri myſteria libri
Scrutari: Sunt quos Svada Themisq; juvat.
Hunc, ſi vel vires herba hujus & hujus, & uſu
Illarum callet mitificare febrim.

Velle cuiq; ſuum pulchrum eſt, ſua quemq; voluptas

Mulcet: id exemplo tu vel AMICE probas
Haſtenus Aſclepias animum coluiſſe per artes
Te MOLLERE juvat, juvit & uſq; juvet!

Jamq; tui ſpecimen proſers, hoc publica charta,
Monſtrat, doctrine ſymbola certa tua.

Neu deſlecte viam, ſed doctum ſcripta Galeni
Hippocratisq; Coi volve revolve manu

Fiet, Te Medico, modo cœptum opus acriter urge,
Adponet quondam Phœbus Apollo foro.

Invideat, cuicumq; libet: tu ſperne malignos.

Spernere ſe ſperni, cùm ſatis hocce beet.

Am. Ergo F.

ANDREAS SENNERTUS Witteb. S.



